

## De Agathonis poetae tragici vita et poesi commentatio.

**D**e Agathonis poetae tragici vita et fragmentis quamvis jam plures iisque doctissimi viri scripserint, plura tamen sunt, quae aut inchoata illi reliquerunt, aut minus recte interpretati sunt aut prorsus denique neglexerunt; data igitur mihi commentariis de schola nostra praefandi occasione si rem denuo tractarem, haud inutile quiddam me facturum esse credebam, praesertim quum duos tantum viros singulares de isto poeta libellos exhibuisse viderem, quorum alter in eo acquievit, ut de Agathonis aetate disputaret, alter autem de poeta haud probabiliter judicasse videtur.

In scribenda hac commentatione mihi usui fuerunt hi potissimum libri:

Frieder. Ritschelii *commentationis de Agathonis vita, arte et tragoeiarum reliquiis particula.* Halis Saxon. 1829.

C. B. Martinii *programma scholae Valsensis anni 1839: De Agathone poeta tragicō.*

G. F. Welker, *die griechischen Tragiker. Dritte Abtheilung.* Bonn 1841.

Fr. Guil. Wagneri *fragmenta Euripidis et deperditorum tragicorum omnium.* Parisii apud Firm. Didot. 1846.

W. C. Kayseri *historia critica tragicorum graecorum.* Götting. 1845.

Reliquos suo quemque loco indicabimus.

In maximo illo librorum optimorum tanquam naufragio Agathonis tragedias etiam interisse eo magis dolendum est, quod exceptis tribus illis tragediae graecae principibus, quibus Achaeus fortasse et Jon accensendi sunt, Agathonis nomen inter praecipuos suaे aetatis poetas excelluit, ut si vel nulla eius extarent fragmenta, Aristophanis fabulae et Platonis Convivium summa illius inter antiquos famam nobis servassent.

Supervacanea mihi idcirco visa est quaestio, quot ejusdem nominis tota antiquitate extiterint scriptores, quam nihil minus instituit Martinus ut demonstraret, poetam non fuisse comicum sed tragicum, utque Isaaci Vossii opinionem ex mero scholiastae errore ortam refelleret, qui in libro suo de historiis graecis conscripto aut extitisse poetam comicum aut eundem et comoedias et tragedias scripsisse affirmaverat. In eundem quidem errorem Baylium incidisse apparebat, quum in lexico suo (s. v. Agatho) nullo veterum testimonio nisus Agathonem comicum quoque fuisse contenderit; quanquam ex Convivii Platonicī loco, (p. 223. D.) qui haud dubie scholiastam in errorem induxit, uterque satis luculente discere poterat, veterum omnino poetarum scenicorum, qui et comoedias et tragedias scripsisset, fuisse nullum.

His igitur omissis ad quaestionem transeamus multo difficiliorem de Agathonis aetate: nullus enim vetus scriptor, nec quo anno natus, nec quo mortuus sit poeta, aperte indicavit, ut ex paucis tantum locis computatione facta eruendum nobis sit, quod de multis aliis scriptoribus vel minus claris antiquis testimonii constat. Eam vero de natali Agathonis anno rationem primus sagacissime instituit Ritschelius, cuius libellus quum nunc rarissime inveniatur omnesque, qui post illum de Agathone scripserunt, eum secuti sint, ratiocinationis argumenta, quibus usus est, paucis attulisse haud alienum a re erit.

Poetae aetatem Praxiphanes apud Marcellinum (vita Thuc. §. 28 ante Thucyd. Poppon. edit. min. p. XVIII) sic significavit potius quam descripsit:

συνεχόντος δὲ ὡς φησι Πραξίφανης ἐν τῷ πιεῖ ιστορίᾳ Πλάτωνι τῷ καμικῷ, Ἀγαθῶν τῷ τραγικῷ,  
Νικηφάτῳ ἐποποιῷ, καὶ Χοιρίλᾳ καὶ Μελαινίππῳ καὶ ἐπεὶ μὲν ἔχει Ἀρχέλαος ἀδεκός ἢν ὡς ἐπὶ πλεῖστον  
ἀντὸς Πραξίφαντος δηλοῖ, υπερέστι δὲ δαιμονίος ἐθνικασθη. Inde eum Thucydidis et  
Archelai regis aequalem fuisse coperimus: nam quod Ritschelio placuit de Archelao philosopho  
potius dicenti quam de rege cogitandum esse vereor ut cuiquam probetur. Admodum infirma  
enim est ratio, qua vir clarissimus usus est, quum diceret, cum historica et poetica arte con-  
junctiorem philosophi disciplinam esse quam regis imperium. Quippe non de artibus a Marcellino  
agitatur, sed de plurium scriptorum aetatibus: quid autem ad rei cujusdam gestae vel hominis  
cujusdam tempus definiendum accommodatius sit regis cujusdam imperio? Nonne in rebus gestis  
chronologia cum singulorum regum temporibus coniungi ac numerari solet ab historicis cujusque  
fere aetatis? Jam vero si eam ob causam Archelaum regem a Marcellino dictum esse verisimile  
est, id inde vel multo probabilius fit, quod plerique illorum virorum, quos Marcellinus commo-  
morat, non modo Archelao aequales fuere, sed aliquamdiu apud eum commorati sunt, et hanc  
ipsam ob causam jam a Praxiphane allati videntur. Certe hoc constat de Choerilo (cf. Athen.  
VIII p. 345. A. Suid. s. v. Naek. Choeril. p. 30) item de Melanippide, (cf. Plutarch. non posse suav.  
viv. secund. Epic. p. 1095 D.) ac de ipso Agathone, Aelian Var. hist XIII, 4.<sup>1)</sup> collato schol.  
Aristoph. Ran 85<sup>2)</sup> Schol. Vindob. Lucian. ed. Jacobitz Vol. IV. 222, 19.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς ἐστίαστι παρεσκεύαστε πολυτελῆ τοῖς ἑταῖροις. Προϊόντος δὲ τοῦ πότου ζωρότερος πιὼν  
Ἐνερπίδης ὑπῆρχεν τας κατ' ὀλίγους εἰς μεθήν, εἴτα συγκλιθίστα αὐτῷ Ἀγαθῶνα, τὸν της τραγῳδίας  
ποιητὴν, περιλαβὼν κατεφίλει, τεσσαράκοντα ἵτων που γεγονότα. Τοῦ δὲ Ἀρχέλαον πυθομένου, σίκα  
νῦν ἔτι ἐρώμενος αὐτῷ δοκεῖ ἴησαι ἀπεκρίνασθαι. Ναὶ μὰ Δία; οὐ γάρ μόν το ἕαρ τῶν καλῶν καλλιστοί,  
ἀλλὰ καὶ τὸ μετόπωρον.

<sup>2)</sup> Aristoph. Schol. ad Ran. 83 η ὡς περὶ τετελευτήσοτος λέγει ὡς ἀνεὶ εἶπε (sic Dindorf. in nov.  
Oxford.) τὰς μάκαρους νήσους, η ὅτι Ἀρχέλαος τῷ βασιλεῖ μέχει τελευτῆς μετὰ ἀλλων πολλῶν συζῆ,  
ἐν Μακεδονίᾳ καὶ μακάρου εὐάγχιατ ἐφ τῷ ἐν τοῖς βασιλείοις δικτερῷ [τοῦτο δὲ πας ὑπόστατο.]

<sup>3)</sup> Ἀγαθῶν τραγῳδίας ποιητὴς εἰς μαλακίας σκοπτόμενος Ἀριστοφάνει τῇ Γρεγυτάδῃ ἢν δὲ Τισιμενοῦ τοῦ Ἀ-  
γησίου νιός παιδίκα γεγονός Παντανίου (τοῦ τραγικοῦ) μεθ' οὐ πρὸς Ἀρχέλαος τὸν βασιλέα ὥχετο, ὡς  
Μαρσύνας ὁ νιώτερος ἐκμείτητο δὲ τῇ κομψότητα τῆς λίξιν Γεργίου τοῦ ἑπτορος, ὡς Πλάτων ὁ φιλό-  
σοφος ἐν συμποσίῳ.

Nunc igitur quaeritur, quo tempore regnaret Archelaus. Quam quaestionem egregie absolvit Ritschelius, quum Diodori loco felicissime emendato<sup>1)</sup> Archelai imperium incidisse ostenderet inter Ol. XCI, 3 et Ol. XCV, 1 et cum eo accuratissime convenire doceret solis defectionem, quam Archelai aetate fuisse Seneca (de benef. V. 6) narrat. Ut autem accuratius exploraret, quo anno ille apud Archelaum fuisset, profectus est ab Aeliani loco supra citato et quum ex eo Agathonem simul cum Euripide Pellae versatum esse appareret, explorare studuit, quo anno Euripides in Macedoniam se contulerit. Verum etiam hoc nusquam accurate proditum est; illud tantum certe constat, eum ante Elaphebolionem mensem Ol. XCII,<sup>2)</sup> Athenas non reliquisse, hoc enim anno Diocle archonte Orestam docuit.<sup>3)</sup> Quo vero anno mortuus sit ut cognoscatur, Aristophanis Ranæ auxilio sunt, ex hac enim fabula videmus et Sophoclem et Euripidem jam mortuos fuisse Lenaeis Ol. XCIII, 3. Porro constat Aristophanis, marmoris Parii, Suidæ, Thomae Magistri et Apuleji testimoniis mortuum esse Euripidem ante Sophoclem; sed quum de Euripidis morte differant inter se marmor Parium et Eratosthenes (apud scriptorem vitae Euripidis ex codice Ambrosiano editae a Petr. Elmsl. post Bacchas p. 174 exempl. Lips.) Sophoclis demum morte explorata cognosci potest, quo anno mortuus sit Euripides. Sophocli mortis causam fuisse tradunt quandam tragœdiā, quae quum non possit Ol. XCIII, 3 acta vel recitata esse, quippe Gamelione mense jam defunctus fuit Sophocles, anno Ol. XCIII secundo tribuenda est. Sed hoc repugnat gravissimis testimoniosis, quibus Sophocles obitus ad Ol. XCIII, 3 refertur; neque vero est, cur fidem derogenus, praesertim quum Euripidem, id quod probabiliter a Wagnero (ad Eurip. Archelaum) expositum est, Ol. XCIII, 2 demum Pellae Archelaum docuisse probabile sit. Verissime nobis igitur ab eodem (Quaest. de Aristoph. Ran. p. 2 ann. 3) Euripidis mors ad exeuntem Ol. XCIII, 2, Sophoclis ad Ol. XCIII, 3 relata videtur. Unde Euripidem appetat per breve tantum tempus apud Archelaum commoratum esse.<sup>4)</sup> Pellam enim migravit, ut supra dictum, non ante XCII, 4, mortuus jam fuit medio anno tertio Ol. XCIII; quo tempore si Agatho quadragesimum fere aetatis annum agebat<sup>5)</sup>, natus sit necesse est intra Ol. LXXXII, 4 et LXXXIII, 3, id quod accuratius ex Socratis verbis in Platonis Protagora (p. 161 Bnk) constituitur; qui dialogus Ol. LXXXVII, 2 habitus esse fingitur, in eoque nominatur Agatho περὶ τοῦ μετρόνομον cui si sedecim annos

<sup>1)</sup> Diodor XIV c. 37 κατὰ δὲ τὴν Μακεδονίαν Ἀρχίλαος ὁ βασιλεὺς — τὸν διονυσίου στίχην τίτταρα καὶ δέκα. Quippe ΔΙΙΙ numerorum notae ubi evanuerat signum Δ facillime convertebatur in ΠΙΙ; quod permutationis genus commendavit Boeckhius Oec. civ. Athen. Vol. II. p. 101.

<sup>2)</sup> Conf. Schol. Eurip. Orest. 361. 760. p. 344. 406 edit. Matthiae.

<sup>3)</sup> Aelian. Var. Hist. XIII, 4: τεσσαράκοτα ἵσταντο γεγονότα.

<sup>4)</sup> Antequam enim in Macedoniam commigravit Magnesiam se contulit. In Euripidis vita quam Elmsleius post Bacchas in edit. Lips. primus adjecit p. 174. haec relata invenimus: μετέστη δὲ οὐαὶ Μαγνησίᾳ καὶ προξενίᾳ ἐπικῆρυκα καὶ ἀπελεῖα ἵστιθεν δὲ εἰς Μακεδονίαν περὶ Ἀρχίλαος γενόμενος διέτρεψε καὶ χαριζόμενος κατὰ δέκαμα ὄμονίων ἔγραψε κ. τ. λ. conf. Wagner. ad Euripid. Archelaum in l. l.

tunc tribuimus, natalis ejus annus Ol. LXXXIII, 1. computando invenitur. Hoc post Ritschelium omnes fere praeter Martinium docuerunt, qui natalem annum Agathonis circa medium Olympiadem LXXXI et LXXXII constituit accuratiore temporum ratione non habita.<sup>1)</sup>

Non minus difficilis est ea quae de poetae morte indaganda versatur quaestio, quoniam a nullo veterum scriptorum quo anno mortuus sit Agatho aperte indicatum sit. Nisi enim ut omnes fere priores Aristophanis interpretes Ranarum versus 83 et 85 certam mortis significationem contineri negamus scholiastae verbis fides nobis habenda est, qui ad Ranarum versus laudatos

H. Ἀγάθαν δὲ τοῦ στίν; Δ. ἀποθίπων μὲν ἀποιχεῖται.

H ποῖ γῆς ὁ τλήμων; Δ. εἰς μακάρεων εὐωχίας.

annotavit haecce: ἦ αἰς περὶ τετελευτηκότος λέγει, οἵσαντι εἴπε τὰς μακάρεων νήσους ἡ ὅτι Ἀρχελάφ τῷ βασιλεῖ μέχρι τῆς τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ καὶ μακάρεων εὐωχίαν ἐφ τὴν ἵν βασιλείου δικρίζην. [τοῦτο δὲ πιθεὶς υπένθισται.]<sup>2)</sup>

Ex his scholiastae verbis, siquidem recte verba μέχρι τελευτῆς ad Agathonem referuntur, sequitur poetam Archelai regis hospitio usque ad mortem gavismus esse, nec post illius demum mortem [id est Ol. XCV, 1] ipsum supremum diem obisse. Quod quominus creditur Ritschelius dubitat, an obstet Platonis testimonium. Cujus in convivio, quod habitum esse fingitur Ol. XC, 4, scriptum est post Ol. XCVIII, 4, tempora trifaria dispertita sunt. Primum enim res gestae convivii ab Aristodemo, qui ipse interfuerat convivio narrantur Apollodoro (p. 173 B.) itemque Phoenici, a quo per alias enjusdam interventum in Glauconis notitiam transeunt (p. 174 B. C.) Ab illa narratione seiuncta sunt altera et tertia quaedam Apollodori, ex quo primum rei illius ab Aristodemo acceptae memoriam audivit Glauco (p. 173 B.) et paullo post conuentus quidam familiarium, coram quibus iam omnia illa narrata esse finguntur, quae nunc in dialogo Platonis leguntur. Quenadmodum autem prior Apollodori narratio Socrate vivente facta est, ut ex p. 182 C. appareat, ita ne posterioris quidem tempore mortuus fuit Socrates; priorem enim brevi distare a posteriore narratione vocabulo πρότερον docetur p. 172 A. et certissimum est propter verba 173 D. καὶ δοκεῖ μοι ἀτέχνας πάτερ παῖδες μητέρας πλὴν Σοκράτους, Socratem adhuc in vita fuisse\*)

Ex his demum duobus temporis spatiis constitutis, e Socratis morte quam philosophus non ante Thargelionem mensem primi Olymp. XCV anni obiit, et ex Archelai obitu, quem eodem anno vita decessisse supra diximus, Agathonem OL XCV, 1 paullo ante Archelaum sive exente

1) Postea demum Ritschelii commentatio in Martinii notitiam venisse videtur etsi decennio prius iam scripta erat, quam illius libellus editus est.

2) Verba uncis inclusa desunt in optimis codicibus Ravenn. et Venet.

\*) Hoc argumentum infirmius videtur, quam ex quo colligi possit, Agathonem Socrati superstitem fuisse, et nimiam tribuit fidem historicam Ritschelius Platoni philosopho, qui quoniam haec verba ob Apollodoro dicta (Conv. 172 C.) finxit, vix secum consideraverit, utrum vixerit tunc Agatho nec ne, praesertim quod Ol. XCVIII, 4 convivium demum scripsit, totumque eius argumentum finxit. Ut cunque igitur de verbis istis statuitur, conclusio certe ex iis incertissima est.

Ol. XCIV, 4 sive ineunte Ol. XCV, 1 obisse veri simile est, natum circiter quadraginta septem annos. Sic optime explicatur, quomodo a Platone dici potuerit: Conv. p. 172 C. οὐκ εἶτε ὅτι πολλῶν ἵτων Ἀγαθῶν μῆτραι οὐκ εἰπεῖσθαικεν; Conv. p. 173. A. et πάντα, τόπον, αἷς πάλαι αἱς ἔσται. Agathonem iam multos annos Athenis non vixisse, multumque temporis inde a primo Agathonis certamine scenico praeterlapsum esse; is enim Euphemus archonte Ol. XC anni quarti Lenaeis vicerat, Platone<sup>1)</sup> Athenaeo<sup>2)</sup> et Anonymo (descr. Olymp. ad Ol. XC, 4.) testibus.<sup>3)</sup>

Jam vero tempore, quo Agatho vita excessisse videtur, constituto manifestum est, Aristophanem illis Ranarum versibus ejus mortem significare nec potuisse, nec voluisse, sed lepidissime tantum ambigua ista sententia: *ἴσι μακάρεσσιν εὐάγχιας ἀπόχετο* et ad illius in Macedoniam iter respexisse, et ad ignaviam cui Agatho, quum nihil de posterioribus eius fabulis memoriae proditum sit, in opiparis Archelai conviviis fortasse indulserit ob eamque desidiam arti quasi mortuus fuisse videtur. His comici verbis autem non inusitatam tunc mortis significationem contineri, ex Platonis loco liquet, quo Socrates se veneno sumpto ad nescio quam felicitatem perventurum esse affirmat, haud dubie suam ipsius post mortem conditionem significaturus. Cuius verba haec sunt (Plat. Phaed. p. 115 D.): *ὅτι δὴ ἐγώ πάλαι πολὺν λόγον πεποίησα, αἱς ἐπειδή τινα τὸ φρεμακόν οὐχ ἕτερην παραμενεῖ, αὐλλ' οιχήσομαι ἀπίστα εἰς μακάρεσσιν δὴ τίνας εὐδαιμονίας· ταῦτα μοι δοκῶ ἄλλας λέγειν παραποθούμενος ἀμα μὲν ὑμᾶς, ἀμα δὲ ἐμαυτόν.*

Hac loquendi formula Aristophanes usus esse videtur Bacchum Herculi in fabula sic respondentem fingens: *ἴσι μακάρεσσιν εὐάγχιας ἀπόχετο*; sed phrasin ita immutavit, ut una tantum voce mutata et lepidissimum simulque acerbissimum itineris Macedonici et poetae desidiae pronunciaret opprobrium. Procul dubio autem, si de Agathone vere mortuo Herculem e Baccho quaerentem fecisset, alia interrogandi formula usus fuisse, ut de Jophonte, de quo uno paullisper dubitare videtur Hercules non interrogans *ποῦ ἔστιν*; sed *οὐ ξῆ*; Huic accedit, quod ne de uno quidem vere mortuo Herculem ibi quaerentem videmus. Cur vero responderit Bacchus: *ἀπολιπὼν μὲν ἀποιχεῖται*, dubium esse nequit, quod Agatho et urbem simul et artem reliquerat, quum nec in Bacchi honorem fabulas scribere perrexerat, quam ob causam potissimum a comico perstringi videtur. Similiter etiam tecte significaverit Aristophanes assonantia vocum *μακάρεσσιν* et *Μακεδόνας* ad Agathonis in Macedoniam iter; nam quum illius apud regem hospitium spectatoribus haud dubie notissimum esset, talem verborum lusum hi facillime intelligere poterant.<sup>4)</sup> Hanc comici ambiguatatem scholiae quoque annotatio mihi significare videtur, non ita quidem ut sibi invicem contrarias opiniones afferret neutram probans, sed ut exponeret, quam sententiae ambiguitatem comicus spectatoribus suis iam meditandam proposuisset. Ex iis enim quae scholiastes repugnantibus istis

<sup>1)</sup> Plato Conv. 173. A. <sup>2)</sup> Athenaeus V, 216. <sup>3)</sup> Ἀγαθῶν ἡ τραγῳδοποίεσσι στεφανοῦται Δημόσιος.

<sup>4)</sup> Hoc jam Ritschelius suspicatus erat I. l. p. 20. Martinus vehementer dubitat, an ullus Atheniensium haec verba de conviviis Archelai non intellexerit. Quod equidem miror.

opinionibus adiecit<sup>1)</sup> τοῦτο δὲ παρὰ ὑπόστοις ejus consilium appareat, ex quo affirmare voluerit, iam Aristophanem haec tectis verbis dixisse, quibus quid poeta sibi voluerit dubium esse nequit. Quare immerito Kayserus (p. 145.) scholiastam accusat, quod ex fabulae verbis tantum interpretationem hausit ac dubius haesit, utram praestare diceret sententiam; nec satis luculenter verbis μέχει τελευτῆς significasse eum contendit, ad quemnam haec referenda sint, utrum ad Agathonem an ad Archelaum; nisi enim ad subiectum, quod est in εὐνῇ, referenda essent, scholiastes iis haud dubie αὐτοῦ adiecisset; quanquam contrariam sententian. nec Wolfius<sup>2)</sup> nec Wagnerus<sup>3)</sup> ab eo non alienam putant, eiusque fidem in dubitationem vocant.

Sin autem quaerimus, quo anno Agatho in Macedoniam se contulerit, iam inde, quod in Aristophanis Thesmophoriazusis irrisus est, concludi potest, eum ante Ol. XCII, 1<sup>4)</sup> Athenas non reliquisse: egregie enim monuit Ritschelius p. 18, Aristophanem in fabula ista eiusmodi cavillatione perstrinxisse tragicum poetam quae, nisi ipse adfuisset et in Atheniensium oculis quotidie positus omni vi destitueretur sua. Verum etiam usque ad eum sequentis anni mensem, quo Antiphon capititis damnatus est, Agatho Athenis fuerit necesse est, siquidem vera sunt, quae memoriae prodidit Aristot. Ethic. Eudem. III, 5. p. 1132 b. 8. ed. Bekk.

Καὶ μᾶλλον ἀν φορτίους ἀνὴρ μηγαλόψυχος τι δοκεῖ εἰν σπουδαιῷ οὐ πολλοῖς τοῖς τυγχάνοντος ἀσπερ Ἀντιφῶν ἐφ τῆς Ἀγαθῶν, κατιψήφισμον τὴν ἀπολογίαν ἐπικίνοντα. Antiphon vero condemnatus est Ol. XCII, 2 teste Thuc. VIII, 68. aliis. Hoc anno igitur exeunte vel sequente Agatho Athenis discessit, haudquam vero, id quod male Martinus coniecit, propterea quod petulantiam Aristophanis amplius ferre non potuit (— nam nec quenquam comicorum ioci ita affixerunt, ut aut vita se privaret aut patriam fugeret, neque Agatho, quanquam inde ab Ol. XC fabulas docuit, in alia fabula, quam in utrisque Tesmophoriazusis in scenam inductus et castigatus est, immo in aliis (v. c. Ran. 82.) est laudatus —) sed quod sive ab Archelao sicut ali poetae clarissimi honorificentissimis conditionibus invitatus erat, sive ab Antiphontis amici parte stans similem vitare volebat sortem. Si quid vidimus utraque ratio valuit: nam aliter vix intelligitur, cur omnino patriam reliquerit et cur in Macedoniam potissimum se converterit.

Jam vero Agathonis aetate constituta de reliqua eius vita, quoad veterum testimoniis cognoscitur, videamus.

Patrem ejus Tisamenum fuisse, scholiastae demum Luciani verbis cernitur, quem nuper Cramerus Anecd. graec. Oxon. IV. p. 269 edidit<sup>5)</sup>, sed patriam ejus Athenas fuisse, conjectura tantum nobis

<sup>1)</sup> Si genuina sunt illa verba, nam in optim. codd. Ray. et Venet. desunt.

<sup>2)</sup> Wolf prolegom. ad Plat. symp. p. XLV.

<sup>3)</sup> Wagner l. l. p. 53.

<sup>4)</sup> Hoc anno, non ut vulgo creditum est Ol. XCII, 2 Thesmoph. actas esse, docuit Engerus praef. ad Arist. Thesm. p. 14 et Museum Rhen. anni 1845. p. 49, sq.

<sup>5)</sup> Cujus verba pag. 2 in annotatione nostra allata evolvas.

assequi licet, quum nullus e scriptoribus, qui Agathonis mentionem faciunt, eam adiecerit ut rem omnibus aequalibus notissimam. Parentes eius quamvis obscuros, tamen ditissimos fuisse inde colligendum est, quod nec familiaritatem iuvenum illo tempore luxuriae indulgentium contrahere, neque ipse lautissimam vitam agere, nec sophistarum imprimis Gorgiae disciplina institui potuisset, quippe quae magno tantum prelio emi soleret. Externam eius speciem pulcherrimam fuisse, et Aristophanis et Platonis testimonii satis constat, comici enim his versibus (Thesm. 190) sic describitur:

Σὺ δὲ εὐπρόσωπος, λευκὸς, ἔξυημένος  
Γυαῖκαφανος, ἀπαλὸς, εὐπρεπῆς ἴδειν.

In Platonis Protagora p. 315 hanc poetae invenimus descriptionem:

Παρεκάθητο δὲ αὐτῷ ἐπὶ ταῖς πλούσιον κλίναις Παυσανίας τε ὁ ἐκ Κεραμεῶν καὶ μετὰ Παυσανίου νέος τι ἔτι μισθίου [sc. Ἀγάθων] αἱ μὲν ἑράμεις καλὸς τε καγαθὸς τῇ φύσιν, τὴν δὲ δύναμιν πανῦ καλός, ἔθοξα ἀκοῦσαι ὄνομα αὐτοῦ εἶναι Ἀγάθων καὶ οὐκ ἡ Φανερώσιμη, εἰ παιδίκη Παυσανίου τυγχάνει ἄν.

Praeterea Plato Socratem, cum is de insolito vestium suarum ornatu interrogatus esset, haec respondentem facit (Conv. 174, A.): ταῦτα δὴ ἐκαλλαπισθέντα ἵνα καλὸς παρὰ καλὸν ἴω, quibus verbis haud dubie corporis potius quam animi pulchritudinem significare volebat. Porro Alcibiadem convivas salutantem hisce verbis introducit (Conv. 212):

Νῦν δὲ οὐκαντὶ τῇ κιφαλῇ ἔχων τὰς τανίας, ἵνα ἀπὸ τῆς ἐμῆς κιφαλῆς, τὸν τοῦ σοφωτάτου καὶ καλλίστου κιφαλῆν ἴων εἴπων οὐτωσὶ ανατίθεν ibidem. 213: ἀλλὰ διαμηχυνόν, ὅπως παρὰ τῷ καλλίστῳ τῶν ἔνδον κατακείσῃ. Conf. Athen. V, p. 185. X, 445. XV, 701. B.

Hac corporis et animi venustate permoti et poetae liberalitate allecti, qua vel in servos usus fuisse videtur<sup>1)</sup>, multi eius consuetudinem studiose quaesiverunt, quum ei lautiore vitae genere quam plerisque omnium aetatum poetis frui licuerit. Nimia autem corporis et externi habitus cura cum vita delicata coniuncta imprimisque familiaritas, quae poetae cum Pausania Cerameo intercedebat aliqua in causa fuisse videtur, cur Aristophanes poetam muliebri habitu in Thesmophoriazusis nobis proposuerit salibusque suis persecutus sit, quibus praeter mutuum illum Pausaniae et Agathonis amorem muliebrisque externae speciei vituperium nihil veri inesse videtur. Vehementer enim errare mihi videntur, qui comicorum iocis facetissime historicorum tanquam testimoniis utuntur, neque vim proprietatemque comoediae praecepue antiquae considerare volunt. Inter quos appellandus ac reprehendendus est Kayserus qui (p. 152.) non modo omnem Agathonis aetatem inquinatam omnibus vitiis, sed etiam poetae ipsi, qui delicatarum obscoenarumque rerum cupidine vel effeminata mollitie anteirent, aut paucos aut nullos fuisse dicit. Maxime vero expobravit ei Pausaniae familiaritatem, nec scribere<sup>2)</sup> dubitavit: „vereor ut qui paullo accuratius de amoribus Pausaniae inquisierit aut infamiam huius aut poetae turpitudinem satis defendere possit.“ Verum tamen ad eam probandam plures Xenophontis Convivii locos facere ait, in quibus ad Aga-

<sup>1)</sup> Conv. p. 175 B.

<sup>2)</sup> p. 149 l. l.

thonis cum Pausania necessitudine respectum est, ut VIII. 32, 33. Idque et Platonem dicit confirmare<sup>1)</sup>, sed nec in ea oratione, quam Pausanias in Convivio<sup>2)</sup>, nec in ea quam Agatho<sup>3)</sup> habuisse fingitur, causam ullam positam videamus, ex quo alterius erga alterum familiaritatem turpem fuisse aliquo iure concludi possit; nec denique in Platonis verbis<sup>4)</sup> certum suspicionis argumentum quisquam reperiat, nisi qui omnes Convivii participes intemperantis et libidinosae vitae arguere velit. Quod sane Kaysero placuit, qui tota illa Convivarum de Amore disputatione male intellecta vel Socratis violentiam ex eiusdem Convivii loco (p. 214) demonstrare haud dubitaret. Hanc opinionem suam de Agathonis vita conceptam iis quoque confirmari opinatur, quae Aelianus<sup>5)</sup> de illius et Euripidis amore et de drame Chrysippo in eiusdem gratiam scripto haud dubie commenticia ita quidem enarravit, ut verbis suis διαφορίαις λέγεται adiecerit, quibus auctor se ipsum de hac re dubitasse significat. Cui commenticiae enarrationi ut aliquam fidem compararet Kayserus scholiastae ad Lucianum (rhetor. praecepta 11.)<sup>6)</sup> errorem sic bene a Cramerо emendatum esse censuit, ut post Pausaniae nomen: καὶ Εὐριπίδου adiiceretur, quod nemo Pausaniae tragediarum unquam mentionem fecerit. At optime et Welkerus<sup>7)</sup> et post eum Wagnerus<sup>8)</sup> monuerunt, istam scholiastam sive calanni sive memoriae errore lapsum esse, Cramerо istam loci medelam recte improbantes, quum verba μηδ' οὐ a Pausaniae nomine nullo modo seiungenda sint et ex Athenaeo (V, 216, F.) intelligi possit, Pausaniam tragicum non fuisse, quippe quo loco Athenaeus ejus fabulas silentio premere non potuisset. Quare libenter assentimur illis viris doctissimis, hanc de Agathonis et Euripidis amore narrationem originem inde duxisse suspicantibus, quod olim Euripides septuagenarius in convivio quodam potus Agathonem osculatus esse dicatur, his quidem verbis: „pulchris et pulchrum esse auctumnum.“ Plutarch Amat. 24, 8. Apophlegm. 177. Vita Alcib. Idem in Archelai regis hospitio factum esse copiosius enarrat Aelian. V. H. XIII, 4, sed inde in utriusque poetae aetatis differentia praeiudicata tantum Kayseri opinio dishonesti amoris argumentum inveniat.

Non meliorem quidem de poetae moribus in universum sententiam fecit Martinius l. l. p. 11, quanquam Aeliani loco non tantum tribuit, quantum Kayserus. Sed mihi quidem persuasum est, si revera Agathonis vita dishonestis inquinata fuisset moribus, id ex aequalium potius testimoniosis, quam posterioris aetatis scriptorum et scholiistarum notis, quarum fons Thesmophoriazusarum ab his male intellecta fabula fuisse videtur, cognosci posse, eamque ob causam his non multum fidei esse habendum. Quoties enim posteriores scriptores res per comicorum iocos cavillationesque detortas longe aliter ac posterioribus tradiderint quam vere fuerint, uno ad ideam argumentum pertinente exemplo docebimus. Scripsit enim Athenaeus XIII, 601. A. οὐτα δὲ ἵναγματις ηὐ η περὶ τὰ ἱερά πραγματεία, καὶ οὐδεὶς μηδέ τοις ἱεράτικοις τοὺς ἱεράτικοὺς ἀστέ καὶ Αἰσχύλος μήγας μη ποιεῖται καὶ Σοφοκλῆς ἦγον εἰς τὰ θιάτρα διὰ τῶν τραγῳδιῶν τοὺς ἱεράτες. οὐ μή τοις Ἀχιλλίων πρὸς Πάτροκλον,

<sup>1)</sup> Conv. 149, 195. 181. B. 182. B. C. 193. B. <sup>2)</sup> 180. C. — 185. C. <sup>3)</sup> 193. E. — 197. E.

<sup>4)</sup> Protag. 315. D. <sup>5)</sup> Aelian. Var. Hist. II, 21. <sup>6)</sup> Cuius verba supra laudavimus pag. 2.

<sup>7)</sup> trag. graec. III. 985. <sup>8)</sup> l. l. p. 54.

οὐδὲ εἰ τῇ Νιόβῃ τὸν τῶν παιδῶν. διὸ καὶ παιδεραστά τινες καλοῦσι τὴν τραγῳδίαν καὶ ἐδίχωτο τὰ τοιαῦτα φρυγία  
οἱ θεαταί. Ex quibus verbis fuerunt, qui Aeschyli Myrmidones et Sophoclis Nioben dramata satyrica  
fuisse contendenter, praecipue quum etiam Plutarchus Erot. 17. p. 760, E. scripsisset: τῶν μη γὰρ  
τοῦ Σοφοκλίου Νιοβίδην βαλλομένων καὶ θυντούστων διακαλεῖται τις οὐδένα Βοηθός ἀλλος οὐδὲ σύμμαχος ἢ τὸς ἑραστῆν  
ώ [Φίλητας αἰδεῖσ] αἷμαστος οὐδὲν τούτοις τοῖς οὐδένας [τάχα].

Quae in parenthesi posuimus verba supplementa sunt Wagneri Poet. trag. gr. Vol. I. p. 337. Sed vanam esse illorum opinionem egregie idem docuit (336) praeter alia haec disputans: haud  
dubie aliis fuit amor puerilis a poetis descriptus, alias quem posteriores scriptores eo nomine  
significarunt. Nam quod illis honestum fuit ac laude dignissimum<sup>1)</sup> ab his in malam partem ac-  
ceptum est, nisi forte e comoediis hauserunt, ut adolescentes, quos illi sanctissimo amoris et  
animorum quasi vinculo consociatos fingebant, flagitosaram libidinum consortium iunctos fuisse  
cogitarent. Sophocles autem amorem istum in fabula introducere ferme coactus fuit, quia rem  
Thebis agi fecit, in qua urhe turpe fuit puerο amatorem non invenisse. Conf. Conv. Plat. p. 182.  
B. Xenoph. Conv. VIII, 34 Civ. republ. IV, 4. etc.

Qui Platonis de Agathone iudicia cum Aristophanis iocis eundem carpentibus comparaverit,  
nisi ut Kayserus rem opinione praeiudicata aggressus est, non magis Agathonem hominem omnibus  
vitiis libidinibusque deditum fuisse dicet, quam qui Socratem Aristophanis cum Socrate Platonis  
et Xenophontis contulerit, malam de Socrate sententiam habebit. Si quid turpitudinis familiaritati  
inter Agathonem et Pausaniam fuisse, vix id silentio pressisset Aristophanes, qui etiam Cephisophontis  
Euripidei mentionem facere non detrectavit; nec Plato in Agathonis domo potissimum convivium  
illud celebrari finxisset ipsumque tam praeclare de Amore disputantem introduxisset, si qua mala  
eius fuisse fama. Sed haec hactenus de perversa illorum sententia, qui Agathonem in sordes  
detrahere student.

Videamus nunc de eius poesis genere.

De quo, quum pauci tantum iisque e diversis poetae fabulis existent versus, certum iudicium  
fieri vix posset, nisi veterum scriptorum imprimisque Platonis et Aristotelis testimonia in  
usum vocare liceret. Verumtamen etiam ex paucissimis illis versibus unusquisque similitudinem  
quandam ei cum Euripidis ingenio intercessisse statim intelliget, eamque ipsam vel Aristophanis  
verbis significatam reperimus, qui Thesmoph. v. 187. Euripidem sic fecit ad Agathonem loquentem:  
μόνος γάρ αὐτοῖς λίξις αὔξενος εἶμοι.

His autem verbis veram poetae laudem a comico tribui, nec tantum e personae partibus  
haec dicta esse cum Wagnero (p. 54.) censeo contra Welkerum, (p. 987. annot 13.) qui Euripidem

<sup>1)</sup> Quantopere v. c. erret, si quis ex Iphidis (Eur. Suppl. 1098.) verbis παιδῶν ἑραστῆς τῷ τούτοις  
amores a poeta introductos esse fabulamque satyricam fuisse concludat, intelliget, qui  
fabulam etiamnunc superstitem inspicerit.

haec ut blanditiis Agathonem commoveret dixisse, nec quidquam aliud censem significasse quam Agathonis sermonem idcirco Euripide dignum futurum esse, quia ille in mulieris persona coram mulierum concione eam habiturus sit. Nec latet similitudinis inter utrumque causa; quam equidem in communi illius aetatis institutione et disciplina positam video, rhetorum scilicet sophistarumque; ad quorum praecepta iam Euripides aequalium suorum delectationi nimium cedens tragediam conformaverat quorumque disciplina etiam Agatho imbutus erat; certe eum et Prodicus et Gorgiae Leontini institutionibus usum esse constat.<sup>1)</sup> Philostr. vita Soph. I, 9 ed. Kayser. p. 14: Ἀγάθων ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής, οὐ οὐκ εἰδεῖται σοφὸς καὶ καλλιεπῆ οἶδε, πόλλων τῶν ιδεῖται γοργιάζει. Schol. ad Conv. 198 BC.: ἐμμένετο δὲ τὴν κομψότητα τῆς λέξεως Γοργού τοῦ ἀντορος.

Sed Agatho in adhibendis omnibus illis artibus rhetoricos a Gorgia inventis vel Euripidem superasse et nonnunquam modum excessisse videtur, si quid tribuendum est posteriorum scriptorum iudiciis qui eum plus quam Euripidem reprehenderunt. Ab aequalibus vero propter sermonis elegantiam καλλιεπῆς vocatur, (Thesmoph. 49 et 60.<sup>2)</sup>) quam pariter atque artem eius in eligendis collocandisque verbis positam Plato in orationis Agathoni tributae fine imitatus est, ita quidem ut simul Socratem (p. 198. B.) eam admirantem, quin Gorgiam ipsum se audire dicentem finigeret. At vero si quis in universa illa oratione Agathonis in Convivio habita plane eius dicendi rationem expressam esse credit, vehementer eum falli iam Welkerus (p. 1002.) et Wagnerus. I. l. p. 55 recte monuerunt. Harum artium rhetoriarum, inter quas antitheta isocola et gravis eorumdem verborum iteratio a veteribus scriptoribus commemorantur,<sup>3)</sup> exempla vel in paucis illis, qui etiam nunc supersunt Agathonis versibus reperiuntur, quamvis inde concludi nolim, omnes eius fabulas earum plenas fuisse, sunt vero haec:

Fragm. 6. (edit. Wagner. Vratisl.)

Τίχην τύχην ἔστερρες, καὶ τύχη τίχην.

8) Καὶ μὴν τὰ μὲν γι τῇ τύχῃ πρέσσειν τὰ δὲ  
ημῖν αὐάγκη καὶ τίχην προσγίγνεται.

10) Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον δέ, ποιεύμεται,  
τὸ δὲ ἔργον δέ πάρεργον ἐκπορεύεται.

11) Εἴ μὲν φρεσσα τάλητες οὐχι σ' οὐφρεσσα  
οἱ δευφρεσσαί τι σ' οὐχι τάλητες φρεσσα.

13) Γυνὴ τοι σώματος<sup>4)</sup> δι' αργίαν  
ψυχῆς φρέσποις οὐκ ἔχει.

1) Conf. Plato Menexen. p. 91, E. Protag. 315, D. Plat. Conv. p. 198. BC.

2) Philostr. vita Soph. I, 9, 1. p. 14.

3) Aelian. XIV, 13. πολλοῖς καὶ πολλάκις χερται τοῖς αὐτιθέτοις ἡ Ἀγάθων. Athen. V, 187. C. Πλατων χλενάζει τι τὰ ισόκαλα τα Ἀγάθωνος καὶ τα αὐτιθέτα.

4) ex Personi conjectura pro τὸ σώμα.

- 16) Οὐ τῇ φρεγήσῃ, τῇ τυχῇ δίσφαλμεθα.  
 28) Ἀγάθων εἶπεν, τοὺς φθονησούς τῶν ἀνθρώπων οὐχ οὕτως εὑφραίνεσθαι ἐπὶ τοῖς  
 ἴδιοις ἀγαθοῖς, ἀς ἐπὶ τοῖς ἀλλοτροῖς κακοῖς.

Propter frequentem hunc antithetorum usum Aristophanes poetam lepidissime perstrinxit Thesinoph. vss. 146, 147. opponens sibi notiones τοῦ φέροντος τὸν ψόγον atque τὴν ἀληγον; simulque iterationis in eodem loco adhibens exemplum ὡς περιεβν. Adde versum 198.: οὐχὶ τοῖς τεχνάσμασι,  
 ἀλλὰ τοῖς παθήμασι. v. 201. οὐ τοῖς λόγοσιν, ἀλλὰ τοῖς παθήμασι.

Taliū vero antithetorum, si Euripidis tragoealias perlegeris usum in iis frequentissimum invenies; communis enim hoc fuit eiusdem aetatis tragicorum vitium quo spectatores delectati esse videntur, nec mirum, quod, quum proverbia sententiasque gravissimas fabulis immiscere solent tragicī, Agathonis quoque tragediae sententiis ornatae fuerunt, quae antithesium simul usu splendebant. Sententiis vero abundasse eius fabulas ipse Aristophanes significat Thesmoph. 55: τὰ δὲ γραμμοτυπεῖ.

At Agatho non modo consuetudini communi poetarum huius aetatis tragicorum indulxit, sed etiam multa in arte tragica novavit, quibus vel in veteris tragediae morem peccavit et Aristophanis irrisiōnē sibi contraxit. Primus enim chorū carmina fecit canentem, quae nullo cum tragediae argumento connexa erant vinculo quorumque in qualibet fabula suppetebat usus, ut ex Aristotelis Poet. 18. p. 1456. ed. Bekk.<sup>1)</sup> apparet. Neglexit igitur praeceptum ab Horatio in arte poet. v. 193, sq. sic traditum:

Actoris partes chorus officiumque virile,  
 Defendet, neu quid medios intercinat actus  
 Quod non proposito conducat et haereat apte.

Quum vero iam in multis Euripidis fabulis chori cantus et fabulae argumentum non tam arcte cohaererent, quam debent et in Aeschyli Sophoclesque fabulis connexa reperiuntur, mirandum non est, quod etiam Agathonis qui triginta annis minor fuit, carmina illa nullo cum ipsa fabula vinculo coniuncta erant. Unde intelligi potest, chori naturam in Agathonis et aequalium poetarum fabulis ita esse immutatam, ut non talis illius chori, qualis in antiqua tragedia fuit, sed histrionis fere munere fungeretur et carmina caneret in eum modum composita, quem imitatione lepidissima Aristophanes expressit (Thesmoph. v. 100.), ubi Agathonem carmen satis molle delicatumque et cuiusvis fabulae argumento accommodatum pangentem et canentem introduxit. Ea enim imitatione Aristophanem summa fide ad Agathonis poesis genus se applicuisse e multis istis locis divinari potest, quibus (v. c. in Ranis) arte perquam admirabili Aeschyli atque Euripidis poesis genera

<sup>1)</sup> καὶ τὸς χορὸς δὲ οὐα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποχρεωτῶν καὶ μόριον οὐατε τοῦ ὄλου καὶ συναγανθεσθαι, ἀς παρὲ Ἐυριπίδη ἀλλ' ἀς παρὰ Σοφοκλεῖ, τοῖς δὲ λοίποις τὰ διδομένα οὐ μᾶλλον τοῦ μύσου ἢ ἀλλῆς τραγῳδίας εἰστιν διὸ ἐμβόλιμα ἀδονον τέφτον αἴξαντος Ἀγαθωνος τοῦ τειουτεν καίτοι τι διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ἀδειν η ἔργοιν εἰς ἄλλουν εἰς ἄλλο αἴξαντεν η ἐπεισόδιον ὄλου.

imitatione expressit. Nihilominus dolendum est maximopere, quod inter Agathonis fragmenta nullum talis carminis exstat exemplum, unde intelligatur, quam bene illorum carminum ingenium comicus produxerit. Illud tantum ex ista cantus parodia concludendum esse videtur, et modos et numeros ad harmoniam Phrygiam accommodatos, et dithyrambici generis ei nonnihil admixtum fuisse, nam omnes fere versus choriambo finiuntur. Patet porro carmen esse et amoebaum et ψυχηκόστροφον, quum versus minime inter se respondeant; cf. Fritzsche ad Thesmoph. p. 31.

Cavendum vero ne ex Aristophanis parodia simul concludamus, eum ad certum quoddam argumentum ab Agathone tractatum respexisse; nam Apollinis et Latouae laudes, quae carmine illo celebrantur nisi ut Fritzschius censuit, propter argumenti et musicae discrepantiam ad maiorem Agathonis irrisione aptissimae erant, singulari alii consilio non iuservire videntur. Irritis autem comicus haud dubie Agathonem imprimit propter musicam ab eo depravatam praeludio illo, de quo Mnesilochum sic iudicantem fixit v. 100: *μύρμηχος ἀτραπός οὐ τι διακινέσται;* quae verba Fritzschius sic interpretatus est: Cantillat aliquid, quod non pauciores habeat sonorum flexiones, quam Myrmecis semita habet vias. Sed iam Meinekius (poet. com. II, 331.) et post eum Engerus<sup>1)</sup> recte docuerunt, de Myrmecis herois via hic cogitari non posse, quum non *μύρμηχος ἀτραπός* sed *ἀτραπός* Aristophanes dixerit, et Myrmecis herois semita vias habere non potuerit, sed una esse debeat. Formicarum vero vias non rectas et simplices ut Fritzschius videtur, sed sinuosas multisque ambagibus fractas esse Meinekius docuit l. l. p. 331, qui ultro affert Aelian, Var. Hist. VI, 43 *μύρμηχος οὐ γεωγραφία ποικίλας τε ἀτραπός καὶ εἰλιγμός καὶ περιόδους* commemorantem et formicinum gradum apud Plaut. Menaechm. V, 3. 12.<sup>2)</sup> Quod vero Meinekius idem statuit proverbio illo *μύρμηχος ἀτραπός* ita usum esse Aristophanem, ut more suo in ambiguo ludens simul illam *Μύρμηχος ἀτραπά* adsignificaret, id ita tantum verum appareat, si Myrmecis semita illa flexuosa erat, ut quae *Μύρμηχος* dicebatur, simul *μύρμηχος* fuerit via.<sup>3)</sup> At supersederi posse censeo artificiosa illa Hesychii et Photii de Myrmecis semita explicatione, haud dubie enim non ex ista Athenarum via, sed e formicarum discurrendi ratione proverbium illud originem duxit, et comicus artificiosas sonorum flexiones chromatici musicae generis, quo Agatho in pangendis carminibus usus fuit, hisce Mnesilochi verbis irridere voluit. Molle illud chromaticum genus Plutarchi quoque reprehensionem excitavit, qui Agathoni exprobrat, quod primus illo nunquam antea in tragedia admisso musicae genere in Mysis usus sit. Plutarch. Symp. III, 1.: *Αγαθώνος, οὐ τρέποντος εἰς τραγῳδίαν φαῖτις ιμβαλλῆν καὶ υπομιχτεῖ τὸ χειρωτικόν, οὐ τούς Μύρμους θείδασκεν.*

Simile quid etiam dictio *Αγαθώνος αὐλητος*, quae in proverbium venit, significare videatur v. Hesych. s. v. *Αγαθώνος αὐλητος*<sup>4)</sup> Michael. Apost. 1, 9. Arsen. p. 13. ed. Walz. *Αγαθώνεος*

<sup>1)</sup> Aristoph. Thesmoph. v. 100.

<sup>2)</sup> Plaut. Menaechm. v. 888. ex noviss. Ritschelii recensione: Atque eccum incedit. move formicinum gradum.

<sup>3)</sup> Enger. ad Aristoph. Thesm. v. 100.

<sup>4)</sup> *Αγαθώνεος αὐλητος τὴν μαλακήν. Αγαθών γαρ οὐ τραγῳδός οὐποτελεῖ ψαλμικά διεβιβάλλετο.*

κύλησις ἡ μαλακὴ καὶ μήτε πικρὰ μήτε χλιαρά, ἀλλ' οὐχιάτος καὶ ιδίστη, ἄλλοι δὲ μαλακὴ καὶ ἐκλελυμένη. ἀπὸ Ἀγαθῶνος αὐλητοῦ. Οὗτος ἀγαθὸς ἦν τὸ τρόπον καὶ ποθεῖν τοῖς φίλοις ἐκπιμόδειτο δὲ εἰς Θηλύτητα, Suidas s. v. laud. Ἀγαθῶνος αὐλησις ἡ μαλακὴ καὶ ἐκλελυμένη, ἢ η μήτε χλιαρά, μήτε πικρά, ἀλλ' οὐχιάτος καὶ ιδίστη.

Quam opinionis repugnantiam fortasse inde explicare possis, quod hoc musicae genus severioribus quidem illius aevi et maxime posteriorum aetatum iudicibus tanquam depravatae antiquae musicae causa displicuit, plerisque Agathonis aequalibus vero maximopere iucundum fuit. Ad eandem rem pertinet locus, quem nuper Schneidewinus in Praefat. ad corpus Paroemiogr. p. XXXIV. e schedis Schubartianis edidit: Ἀγαθῶνος αὐλησις ἀγαθὴ καὶ μίση καὶ χαλή. Αγαθὸς γάρ τις δέοντος εἰς αὐλητικὴν.

In tragedia ipsa Agatho praeterea illud novavit, quod fabulam scripsit in qua, quum et argumentum et personas sibi ex mente fingeret, consuetum tragicis mythorum cyclum reliquit, non tamen idcirco credendum est eum tantopere a solito tragicorum more in eo decessisse, quod ex flore non personae primas partes tenentis nomine fabulam Ἀρήτος inscriberet. Nemo enim, utrum ἀρήτος argumenti an personae potius fuerit nomen, memoriae nobis prodidit; constat autem, permulta ex illa voce (ἀρήτος) nomina propria apud Graecos usitatissima prodisse, ut Ἀρήτης, Ἀρήτας, Ἀρήτας, Ἀρήτης, Ἀρήτης, Εὐάνθης et similia, nec dubium est, quin ex argomento (si hoc significat) iam ante Agathonem plures iisque nobilissimi poetae tragicī fabulas suas inscripserint, quarum exempla afferenda sunt Aeschyli: Αἴτια, Αργάν (Argonautarum navis), Επτά ἵπποι Θήβων (qui partes fabulae non agunt), Διάν (leo Nemeaeus); Sophoclis Αχαιῶν σύλλογος, Ελένης ἀκατηφεις, Ελίνης αἴρεσμα, Ελένης γάμος, Κωφοί, Υθρης, alia. Quid igitur Agatho, praeterquam quod mythum cyclicum reliquit, hac fabula in arte tragicā mutaverit non assequimur, quum imprimis Aristoteles auctor locupletissimus in illa Agathonis fabula praeter argumentum solitum nihil desiderare videatur<sup>1)</sup> et poetae saepius in libro suo de arte poetica nonnisi cum laude mentionem faciat. At non ex Aristotelis tantum, sed ex aequalium quoque testimoniis, quam praeclarus suo tempore fuerit poeta Agatho liquet, quum prima quam dedit fabula victoriam reportaverit (Ol. 90, 4.) Platone (Conv. 173. A.) teste, quippe qui convivium illud habitum esse finxerit, ὅτι τῇ περιγραφῇ ἐνίκητεν Ἀγαθὸν.

Quem Platonis locum quum antea ita interpretati essent et Welkerus<sup>2)</sup> et Wagnerus<sup>3)</sup>, ut tetralogia tunc poetam vicesse censerent, Boeckhius<sup>4)</sup> recte intellexit monuitque singula tantum tragœdia Agathonem primam victoriam reportasse; nec profecto est, cur Platonis vocem τραγῳδίας

<sup>1)</sup> Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐνίκας μὲν ἔτι η δύο τῷ γνωσίουν ἔστιν ἔνοματαν, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα, ἐν ἐνίκαις δὲ οὐδέποτε, οὐτοὶ ἐν τῷ Ἀγαθῶνος ἀρήτῃ ὄμοιος γάρ ἐν τοιεύτω τὰ τε πράγματα καὶ τὰ ἔνοματα πεποιηται καὶ οὐδέποτε ἡττην εὑρέσαινε. ἀτοί οὐ πάντας σίγαλος Σητητέον τῶν παραδεδομένων μήδην, περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσίν, ἀπτέχοσθαι. Καὶ γαργυρεῖτον ἢν τούτο τητείν, ἐπεὶ καὶ τὰ γνωστά μα ὅληγοις γνωσμάτα ἔστιν, ἀλλ' οὐκούς εὑρέσαινε πάντας.

<sup>2)</sup> trag. graec. III. 998. <sup>3)</sup> trag. fragm. ed. Paris. p. 55. <sup>4)</sup> Index lectt. Berol. 1841—42.

tetralogiam hic significari suspicemur, quamvis ex Aeliani Var. Hist. II, 30. liquet, et tragicam poesin, et tragediam hac voce interdum significatas fuisse. Sed inde, quod singula tantum fabula certavit, haud sequitur, Agathonem nullas omnino tetralogias docuisse; quin verisimillimum est, poetam Sophoclis in hac re secutum esse exemplum, quem primum inter tragicos et tetralogiis et singulis fabulis certasse Suidas testatur (s. v. Σοφοκλῆς) hisce verbis: Σοφοκλῆς αὐτὸς ἦρε τοῦ δεῖμα πρὸς δεῖμα μητρικοῦ θεᾶς, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν.<sup>1)</sup> Certam quidem Agathonis tetralogiam in fabularum eius paucitate non novimus, quae sententiae nostrae argumento esse possit, sed in Aristophanis Thesmophoriazusis (v. 157.) et in Platonis Convivio (p. 222. D.) ad eius dramata satyrica respicitur, unde coniiciendum est, Agathonem hunc quoque poetarum morem aliquoties esse secutum.

Septem eius tragediarum citantur tituli hice: Τηλεφος, Ιλιου πέρσις, Αλκμαίων, Αἰρόπη, Ουίστης, Μύσαι, Αγθός; quibus adnumerandae videntur Αχιλλεὺς propter Aristotelis locum (poetic. c. 15. p. 1454. ed. Bekk.<sup>2)</sup>), nisi forte in Telepho Achilles partes tenuit, id quod Wagnerus<sup>3)</sup> contra Welkerum statuit, et Φαιδης propter Aristophanis Thesm. vers. 153; cui loco nisi cognominem tragodiam scripsit Agatho multum salis detrahitur<sup>4)</sup>. Magnam vero his fabulis gloriam sibi comparsa poetam inde colligendum est, quod una tantum earum (Ιλιου πέρσις) explosa esse dicitur Aristotele teste (poetic. c. 18.<sup>5)</sup>).

Restat ut adiiciamus, Agathonem antiquissimorum poetarum morem secutum non *solis* histriónibus fabulas suas dedisse agendas, sed ipsum non sine laude in scenam prodisse. Plato Conv. 194. A.<sup>6)</sup> Suidas s. v. μυημένων μέτρων et s. v. χορικός.<sup>7)</sup>



<sup>1)</sup> Copiosius de Sophoclis tetralogiis et singulis fabulis disseruit Wagnerus fragm. trag. I, p. 171. sq.

<sup>2)</sup> Οὗτως καὶ τὸν ποιητὴν μημούμενον καὶ ἐργάζοντας καὶ ἔργοντας καὶ τάλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἵπποις ποιεῖν παραδίηγμα ἡ σκληρότερος δὲ, οἷον τὸν Αχιλλεῖαν Αγάθων καὶ Οὐίστης.

<sup>3)</sup> fragm. tragic. edit. Paris. p. 54.

<sup>4)</sup> cf. Wagner fragm. trag. I. l.

<sup>5)</sup> ὅμηλος δὲ ὁσιοί πέρσιν Ιλίου ὅλην ἐποίησεν καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥσπερ Εὐρυπίδης Νιοβη, καὶ μὴ ὥσπερ Αισχύλος, ἡ ἱκτίπτεοντος ἡ κακάς αἰγαλίσεται, ἐπειὶ καὶ Αγάθων ἐξέποιεν εἰ τούτῳ μέρῳ

<sup>6)</sup> Ἐπιλόγουν μὲν τὸν εἶναι εἴπειν τὸν Σωκράτην εἰ ιδεῖν τὴν μέδεσιν καὶ μηγαλοφροσύνην ἐπιβιβίσετος ἐπὶ τὸν ὄχριβαντα μετὰ τῶν ὑποχρεῶν, καὶ βλέψαντος τραχιότερον τοσαῦτην θιάτρην μιλλεῖσθαι σκυτοῦ λογούς καὶ οὐδὲ σπαστικούν ἐκπλαγήσετο. κ. τ. λ.

<sup>7)</sup> Αγάθων ὑποχρετικά μέλη ἴποιι καὶ κύντος ὑπεκρίνετο.